



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Carolo Sevino Avrelianensi. XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

TRINI s literis tuis quod non respondi,
 præsertim auctis beatissimo viatico
 duorum summorum poetarum Dampetri
 & Rogerii, primum fecit penuria nuncio-
 rum, deinde cum discedebat frater, tum
 ego aberam apud Vasates. Itaq. eius disces-
 sum ægrius tuli, quam fecissem simplici de-
 siderio. Erat ante oculos Dampetri liberalis
 animus candidusque, vnde mihi summa
 omnia obuenerunt. Erat Rogerius, qui me
 diuinis suis laudibus cumulasset. Iam alte-
 ris tuis literis exoptularas mecum. quo ex-
 probrationis genere scito me vehementer
 affectum, sed ita vt sperem me apud illos
 abs te plurimum iuuari posse, apud te a
 meipso non ausim. haberem enim appa-
 ratas literas semper ad te, quas primo cuique
 tabellario committerem. Ita sane obiicies.
 Ego vero, mi Sevine, vt hoc dem, illud mihi
 recipiam, totos menses septem nullius fa-
 ctam nobis copiam, qui sese diceret isto con-
 ferre. Ita Fortuna firmitatem quandam sibi
 perpetuauit ad maleficia, quibus me quoti-
 die exerccat. Ad defensionem tamẽ meam
 initum est a me consilium vt vulgare, ita pu-
 to non

to non pœnitendum. Nam qui amant, si-
 quid offensiunculæ obtigit, oblato auctario
 vel pusillæ basiationis, redire solent in gra-
 tiam. Ergo vt me ex his difficultatibus euo-
 luerẽ, scripsi non illepide, vt reor, ad vtrum-
 que, sed Dampetro parcius. quippe obrutus
 lacteo illo flumine imparem me sensi ad
 meipsum cum eo conferendum. Quare illa,
 quam vos laudare soliti estis, facultas metu
 atque admiratione exaruit. Curavi tamen,
 vt, qui non possem large, at laute saltem ac-
 ciperẽ. spero enim non nimis esse rusticellos
 versiculos meos quinq. Ad Rogerium vero
 vberius, vt essent auspicia amicitia nostræ
 secundiora. Vbi me videris reconciliatũ de
 cessatione illa, salutem vtrique eorum dices,
 & tibi, mi Scuine, cui ego tot tantaque bona
 debeo, quanta nulli præterea. Libri mei in
 libros Aristotelis de plantis, quos mihi dono
 dederas, absoluti sunt, non sine honorifica
 tui mentione. De libris meis De causis lin-
 guæ Latinæ quid sentiant docti, oro scribas
 ad me. vereor enim plus esse reorum, quam
 iudicum. Vale. Decimo Cal. Decembres.

Tuus CÆSAR.

K

EIDEM